

V  
g  
4839

67



GR. 188<sup>a</sup>

34

1684.  
D. Georg. Meibii



# RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

*ad*

Anniversariam memoriam Refor-  
mationis salutaris superiori seculo, Anno  
1517. die 31. Octobr. in vigiliis scilicet omnium  
sanctorum

*à*

## B. LUTHERO



feliciter susceptæ,

### IN TEMPLO PAULINO

hodierno die recolendam,

### UTRIUSQUE REIPUBL. PA- TRES, UT ET CIVES ACADEMICOS

humaniter & officiosè

invitat,



*De temeraria pontificiarum, indulgentiarum  
venditione*



**N**on malè quidam Patres Ecclesiam veram cum Phasibus lunæ comparant, quod facit in primis *Ambrosius* l. IV. *Hexaem.* c. 8. f. 76. b. Quemadmodum enim luna interdum plenâ luce refulget, quandoque verò latet, & inconspicua redditur, imo varios defectus ac ortus, item decrements, & incrementa sentit: Ita Ecclesia Christi modò fulget per publicum, & liberum puri cultus divini exercitium, modò obscuratur per varias persecutiones, & hæresium invalescentium nebulas, tandem tamen ex his obscuritatum involucris iterum emergit, & de hæresibus gloriosum reportat triumphum, sicut pulchrè scribit *Vigilius* l. 1. *contra Eutychem*, f. 119. Negat quidem *Becanus* l. *de Eccles.* quæst. 1. conclus. 4. n. 94. eò respectu Ecclesiam cum luna à Patribus conferri; sed verba *Ambrosii* c. 1. sunt manifesta, quando inquit: *Annunciat luna mysterium Christi; Paulò post: Prospiciens ergo Ecclesia sicut luna defectus habet, & ortus frequentes.* Manifestum hujus rei exemplum habuimus tam in Ecclesia Vet. quàm N. Test. De Ecclesia V. Test. jam nihil dicamus, tantummodo Ecclesiam N. Test. contemplabimur. Illa postquam ab Apostolis plantata fuit, ab initio egregiè splendebat, & per tria vel quatuor secula faciem ostentabat formosissimam; sed paulò post suas passa fuit *Phasibus*, & defectus, dum per varias hæreses valde fuit obscurata, & erroribus pestilentissimis conspurcata, quod in multis Ecclesiis particularibus, & maximè in Pontificia usq; in hunc diem observare licet. Inter multas autem ejusmodi spissas errorum nebulas non levis, sed magna est detestanda illa indulgentiarum nundinatio, & vanissima hominum persuasio, dum ex pastorum suorum doctrinâ, peccatorum maximorum & commissorum, & committendorum remissionem, interventu pecuniæ fieri crediderunt. Hunc in finem præcones indulgentiarum docuerunt, & adhuc docent, Christum satisfecisse quidem pro peccatis nostris, ac pœna eorum æternâ, interim tamen pro temporali pœna nobis ipsis esse satisfaciendum, idq; vel operibus sponte susceptis, vel à sacerdote injunctis vel in hâc vita, vel pœnâ in purgatorio luendâ post hanc vitam. Ne verò residuæ istæ pœnæ partim ob durationem temporis, partim ob cruciatuum atrocitatem intolerabiles fierent, ideo indulgentias excogitarunt, quibus pœnas illas relaxari, ac redimi posse statuerunt, modò certâ pecuniæ summâ indulgentiales literæ ab officialibus Romani Pontificis redimerentur. Ita *Paulus Laymannus Jesuita* l. V. *Theol. Moral. Tract. 7. c. 1. v. 1: Indulgentia est pœnæ temporalis Deo debita remissio extra sacramentum, per applicationem satisfactio-*  
nis

*nis Christi, & Sanctorum. Idem c. VII: Certum esse debet, quod summus Pontifex defunctis, qui in Purgatorio detinentur, indulgentias dare possit.*

Sed audiamus ipsorum Romanorum Pontificum hanc de re iudicia, & decreta. *Leo X. Anno Christi 1518, Decretalem condidit, quã quicquid in universon de indulgentiis statui vellet, breviter edixit. Ne, inquit, de cetero quisquam ignorantiam doctrinæ Romanæ Ecclesiæ circa ejusmodi indulgentias, & illarum efficaciam allegare, aut ignorantia hujusmodi pretextu se excusare, aut protestatione confictâ se juvare, sed ut ipsi de notorio mendacio, ut culpabiles convinci, & meritò damnari possint, per presentes Tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem Petri clavigeri successorem, & Jesu Christi in terris vicarium, potestate clavium (quarum est aperire tollendo illius in Christo fidelibus impedimenta, culpam scilicet & pœnam pro actualibus peccatis secundum divinam justitiã debitam, mediante Ecclesiasticâ indulgentiã) posse pro rationalibus causis concedere iisdem Christi fidelibus, qui charitate jungente, membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in purgatorio indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & sanctorum dispensare per modum absolutionis, indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse. Ac proinde omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias hujusmodi consecuti fuerunt, à tanta temporali pœna secundum divinam justitiã pro peccatis actualibus debita, liberari, quanta concessa, & acquisita indulgentiã æquivalet. Facta est hæc decretalis V. Novembr. Anno proximè dicto, & per Cardinalem Cajetanum publicata Linzii in Austria XIII. Decembr. Anno eodem. Idem proponit Bulla Clementis VIII. Anno 1599. ad Annum Jubileum 1600. evulgata. Hæc promittit omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & Confessis, qui beatorum Petri & Pauli Basilicas, & S. Johannis Lateranensis, ac S. Mariæ Majoris de urbe Ecclesias semel saltē in die per triginta continuos, aut intermissos dies, si Romani, vel incolæ urbis fuerint, seu per quindecim dies, si fuerint peregrini, aut aliàs externi, devotè visitaverint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam.*

Quin eò temeritatis processerunt, ut indulgentias peccatorum non præteritorum tantum, sed & futurorum ad multos, & quod meritò mireris, ad aliquot mille annos extenderint, hominibusq; eorum veniam, (cum tamen vitam, ad tot annos nemo producat) promiserint. Eâ de

causa certa Calendaria confecerant, in quibus per omnes dies indulgentias ipsis impertiti sunt, & quidem largissimas, ac planè stupendas. Ejusmodi Calendarium in lucem emissum fuit *Vienna* Anno 1639, cum tali Epigraphe: Von Jesu Maria Erh̄-Brüderschaft des H. Rosenkrantz Unterrichtung/ Durch fratrem Eustachium Mayer, Prediger-Ordens / generalem prædicatorè, und subprioren/ Wien bey Matthæo Formica, ubi p. 19. ita legitur: Calendar für die Brüderschaft des H. Rosenkrantz Jesu Maria/ darinnen auff alle Tage gewisse Ablass in der Prediger-Kirchen zu erlangen verzeichnet sind/worbey in acht zu nehmen/ daß V. bedeutet vollkommener Ablass/ J. zeigt Jahr an / das Q. die Quadragen.

### Januarius

1. Beschneidung Jesu Christi/ vollkommener Ablass auff 25000. Jahr.
2. Macarius Ayt 6000. Jahr.
3. Genoveva Jungfrau/ 6000. J.
4. Telesphorus, Pabst/ und Martyr 6000. J.
5. Titus Bischoff/ 6000. J.
6. H. Drey Könige zu Eöln/ Vollkommen.
7. Raymundus Beichtiger/ Prediger-Ordens/ B.
8. Erhardt Bischoff/ 8000. J. B.
9. Mariana Jungfrau/ und Märtyrin/ 10000. J. B.
10. Paulus der erste Einsiedler/ 10000. J. B.
11. Higinus, Pabst/ und Märtyrer/ 10000. J. B.
12. Satyrus, und Arcadius Märtyrer 12000. J. B.
13. Hilarius, Bischoff/ 1000. J. auch B.
14. Felix, Priester und Märtyrer/ 3000. J. und Quadr.

Sed nolumus totum hoc Calendarium huc transcribere. Tædet enim, tantas ineptias, & absurditates audire. Qui volet, consulat etiam *Eliam Ehingerum in Thesaur. Antiquit. p. 410. seqq.* ubi plura in hanc rem inveniet.

Notatu autem dignum est, quod in his Bullis Papalibus nullam expressam fecerint mentionem pecuniæ, quâ indulgentiæ istæ debent vendi. Nimirum reservatum fuit hoc decretum Indulgentiarum præconibus. Hi enim sub ipsis indulgentiarum nundinis pretium ex mandato Papæ publicè promulgarunt, & hominibus indicarunt. Testis hujus rei in primis est *Tezelius*, famosus ille indulgentiarum præco, qui in his regionibus Anno 1517. seculi superioris merces suas indulgentiarias in multis locis publicè venales exposuit, & simplicioribus conatus est persuadere, quod *per suas indulgentias plures animæ ex inferno liberarentur, quàm Petrus Apostolus omnibus*

mnibus suis Concionibus redemisset. Docuit præterea, homines per indulgentias cum Deo placari, nec ullâ deinceps opus habere pœnitentia, aut conversione, juravit etiam, quod simul ac pecunia in ærarium illaberetur, & clangeret, continuò anima subvolaret in cælum. Quin imò & hoc addidit, si quis Deiparam virginem temerasset, vel etiam grandissima deinceps designaret peccata, eum tamen absolutum iri, modò ærario indulgentiarum satisfaceret. Quæ asseveratio homines ita dementavit, ut ex variis locis accurrerent, & ingentem pecuniæ summam huic cistæ indulgentiarum inferrent. Refert Job. Wolffius Tom. II. Lect. Memorab. p. 169. edit. noviss. quod Tezelius ille, primo, & unico anno centum millia aureorum ex indulgentiis illis collegerit. Paulò post addit hæc: Pius Lector ex hac re pensitare poterit, quàm inestimabilis pecunia duntaxat per Germaniam fuisset collecta, si ipsum indulgentiarum negotium adhuc integro lustro, uti præfixum, institutumq; fuerat, perdurasset!

Hæc itaque extrema impietas & diabolica seductio adeò exacerbavit B. Lutherum, ut hoc ipso die, videlicet in vigiliis omnium sanctorum Witebergæ Anno 1517. & sic ante 167. annos indulgentias istas Papales publicè impugnaret, & Disputatione nervolâ contra illas conscriptâ è fundamento everteret. Rectissimè autem hac in parte fecisse B. Lutherum, constat exinde, quia

I. Indulgentiæ illæ destituuntur scripturæ suffragio. Fatentur hoc ipsi scriptores Pontificii. Hinc Bellarm. l. 3. de Indulg. c. 20: *sufficit ad Indulgentias & Bullas defendendas Ecclesiæ autoritas, quæ non tam constanter indulgentias prædicaret, & in Conciliis œcumenicis approbaret, nisi divinitus sibi traditam esse hujusmodi potestatem non ignoraret.* Anthonius, Episcopus Florentinus, Part. I. tit. X. c. 3: *De indulgentiis nihil expressè habemus ex Scriptura S. nec etiam ex dictis antiquorum Doëtorum, sed modernorum.* Quia autem Ecclesiæ facit hoc, & servat, non est credendum, quod erraret. Alphonsus de Castro l. VIII. contra hæres. f. 192. b: *Inter omnes res, de quibus in hoc Opere disputamus, nulla est, quàm minus S. literæ prodiderint, & de qua minus vetusti scriptores dixerint, quàm de indulgentiis.*

II. Nituntur falsis hypothefibus, iisq; compluribus, quales sunt sanctorum merita, opera supererogationis, satisfactionis pro pœna temporali post remissionem culpæ, adhuc debitæ flammæ purgatorii verè in Christum credentibus, ac Deo reconciliatis post mortem adhuc luendæ, peculiaris quidam thesaurus in templis Petri ac B. Pauli Apostolorum, B. Johannis Lateranensis, & B. Mariæ Romæ reconditus, summa, & absoluta potestas Romani Pontificis in terra, & in purgatorio, &c.

III. Pa-

III. Pugnāt cum Scriptura multis modis, quippe quæ testatur, primò, *unicum esse mediatorem Christum*, 1. Timoth. II, 3. qui est *propitiatio pro peccatis nostris*, 1. Joh. II, 2. qui *torcular calcavit solus*, Esa. LXIII, 3. nec est in *actio quoquam salus*, Act. IV, 12. Ergò propter hunc solum Pater Cœlestis verè in ipsum credentibus peccata, & pœnas peccatorum gratis, ac perfectè remittit, ut nullis opus sit vel satisfactionibus, vel indulgentiis Papalibus.

Secundò, Opera Sanctorum esse imperfecta, & immunda, neminem pro suis, ne dum pro aliorum peccatis posse satisfacere, neminem legem DEI perfectè posse implere, ne dum opera supererogationis præstare.

Tertiò, bona spiritualia gratis nobis obtingere, ac proinde non posse, nec debere pecuniis emi, vel vendi, *Matth. X, 8. Actor. II, 20.*

Quartò, sunt in sanctissimam & perfectissimam Christi satisfactionem injuriosæ, dum Pontifex illi addit satisfactiones, & passiones sanctorum, dispensationem hujus thesauri sibi soli vendicat, eumq; per intolerabilem Simoniam pecuniâ vendere non dubitat.

IV. *Sunt retia, quibus capitur pecunia hominum simplicium.* Ita rectè judicat ipse *B. Lutherus* in thesibus, quas hoc ipso die *Witebergæ* superiori seculo contra indulgentias proposuit, ubi *num. LXVI, Tom. I. latin. Jen. f. 4.* ita inquit: *Thesauri Indulgentiarum sunt retia, quibus nunc piscantur divitiæ virorum.* Conquesti fuere hæc de re plures alii in Papatu. Hinc *Platina*, qui floruit Anno 1481. in *Bonifacio IX.* ita scribit: *Indulgentiæ, & quidem plenariæ ita passim vendebantur, ut jam clavium, & literarum Apostolicarum auctoritas vilesceret, &c. Multa scelera Simoniam fiebant.* *Albertus Cranzius* in *Metrop. l. XI. c. 10. & 12.* de eodem *Bonifacio* hæc recitat: *Sub ipsius Pontificatu crebræ fiebant indulgentiarum collationes usq; ad fastidium cordatorum virorum, gratias, & indulgentias fecit inauditas, & quàm facile dedit, tam leviter revocavit, fabulas excitans in orbe Christiano, quod auro expleri non possit.* Imò omnes Romani Imperii Principes & status, tam Pontificii, quàm Evangelici in *Comitiis Noribergensibus*, An. 1522. in *Gravaminibus Oratori Pontificis* inter alia hæc quoq; obtulerunt: *Illud importabile jam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, cum aut basilicas Romanas constituere, aut profectiorem in Turcas parere polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus, nimiumq; credulis Germanis exsuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longè majoris est faciendum, per has imposturas, ac earum conductitios præcones, ac predicatores profligata est Germana Germanorum pietas, tum qui extendere volebant venales suas Bullas, laudes suis mercibus accinebant miras, & inauditas, condonari*



per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas, aut futuras viventium, sed & functorum vitæ, existentium in purgatorio (quod vocant Cantores illi Indulgentiarum) igni, modò numeretur aliquid, modò tinniat dextra. Atq; his mercium nundinationibus simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta, quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderit, modo, peccandi impunitatem sibi pollicebatur. Hinc stupra, incestus, adulteria, perjurya, homicidia, furta, rapina, sænora, ac tota malorum lerna semel originem sibi traxerunt. Quod enim malorum amplius jam horrebant mortales, quando sibi peccandi licentiam, ac impunitatem, ne dum in vita, sed etiam post obitum ære, licet immodico comparari posse à nundinatoribus istis indulgentiarum, semel persuasum habent!

Quò itaq; homines ad has indulgentias emendas eò magis allicerent, hinc præter orales comendationes & invitationes, peculiare rythmorû formulas arculæ indulgentiarû, tanquã illecebras præfixerunt, quales sunt hæ:

*Si dederis Marcas, nostrasq; impleveris arcas,  
Culpâ solveris, quâcunque ligatus haberis,  
Hic si largè des, in cælo sit tua sedes.*

Idem innuunt versus Biturigibus Gallorum lapidi incisi:

*Hic des devotè, cælestibus associo Te,  
Mentes agrotæ per munera sunt tibi lotæ,  
Ergo veniote gentes à sede remotæ,  
Qui datis, estote certi de divite dote,*

Qvis ergò exinde corruptissimum Ecclesiæ Pontificiæ statum non cognosceret? Quis non detestaretur! Ipsemet Papa Hadrianus hujus nominis VI. ulcera, & horrendos istos abusus in sede Pontificum Romanorum & totâ Romanâ Ecclesia optimè agnovit, & Reformationem, ac abolitionem hujus pessimi status promisit. Hinc An. 1522. legatum ad Comitia Norimbergensia (quorum paulo ante fecimus mentionem) cum singulari instructione misit, in qua fatetur, sedem Romanam causam esse hujus perverfissimi status in Ecclesia Romana. Instructio hæc extat apud D. Lutherum Tom. II. Germ. Jen. in qua f. 103. hæc memorabilia leguntur verba: Wir wissen/ daß in diesem H. Stuhl viel Jahr her viel greuliche Mißbräuche geweest sind in geistlichen Dingen / Ubertretungen in Geböthen / und daß alle Dinge verkehret sind/ derhalben kein Wunder/ daß die Kranckheit von Haupt in die Glieder/ von Pâbsten in andere niedere Prälaten abgestiegen ist. Wir Prälaten/ und Geistlichen alle seynd ein ieder seinen eignen Weg gegangen. Es ist auch lange Zeit keiner geweest/ der etwas gutes hette gethan/ nicht ein einiger; Darumb ist vonnöthen/ daß wir alle Gott die Ehr / und  
Preis

19. 4837

W reiß geben/und unsere Seelen demüthigen/ einieder sehe von wannen er  
gefallen sey/ und richte sich selbst lieber/denn daß er von Gott mit der Ru-  
then des Grimmes und Zorns wolte gerichtet werden. Denn so viel uns  
belanget/ solt du ihnen sagen/ daß wir allen Fleiß haben wollen/daß erstlich  
dieser Römische Hoff/ daher vielerley alles dieses Übels kommen ist/ refor-  
miret werde/ auffdaß wir/ wie eben daher der Schaden und Verder-  
ben in alle niedere geflossen sind/ also auch die Gesundheit und Refor-  
nation allen andern daher komme/ darzu wir uns so wohl verpflichtet halten/  
so viel Begieriger wir seyn/ daß die ganze Welt solche Reformation an-  
nehme. Ita quidem tunc Papa *Hadrianus* constituerat, sed pium hoc pro-  
positum in effectum haut deduxit. Restiterunt enim ipsi nonnulli Car-  
dinales, ut ex *Petri Snavis Polani Histor. Concil. Trid.* p. 22. seqq. ostendit  
*Joh. Conrad Dieterichius in Breviar. Pontif. Roman.* p. 375.

Quando ergo nulla sana Consilia proficiebant, nec ulla emendationis spes af-  
fulgebat, tunc Deus ipse per *B. Lutherum*, hominem, & monachum tunc temporis ab-  
jectum, & nullius auctoritatis hanc Reformationem salutarem aggressus fuit, & suc-  
cessu subitaneo, & felicissimo, quanquam inter varias contradictiones, & persecutiones  
perfecit. Nam ex Saxoniam in alias provincias, imò in longè distita regna pro-  
pagata fuit, ibiqvè verbi divini jubar hominibus in spissis errorum tenebris sedenti-  
bus iterum apparuit. Magna hæc fuit Dei gratia & tale beneficium, quod pauci di-  
gnè secum æstimant, & ob id Deo dignas persolvunt grates. Rem hanc paulo  
altius perpendens Serenissimus ac Potentissimus Saxon. Elector *Joh. Georgius II.*  
gloriosissimæ memoriæ, ante paucos annos per publicum edictum omnibus suis subdi-  
tis in Electoratu & annexis provinciis clementissimè demandavit, ut hujus summæ di-  
vinæ gratiæ velint esse memores, ac Deo singulares pro hoc summo beneficio persol-  
vere grates. Pientissimum hoc fuit propositum, & à nobis meritò commendandum.  
Vestigiis Paternis hæc in re laudabiliter institit filius paternarum virtutum hæres  
unicus *Johannes-Georgius III* heros gloriosissimus, Dominus noster clementissimus.  
Nam hic quoque in mandatis dedit omnibus suis subditis, ut hoc summum beneficium  
devoto corde agnoscant, & ob id ora in laudes Dei quotannis hoc ipso die resolvant  
Postquam ergo hæc frustra dies iterum apparuit, & in templis ex cathedris publi-  
cis de hæc divina gratia verba ad Populum fiunt, & debita gratiarum actio institui-  
tur, hinc pulpita quoque Academica pietatem cum reliquis conjungunt, & hoc augu-  
stissimum, & salutis plenum opus decantare gestiunt. Eâ de causa cras, Deo dante,  
Templum Academicum ingressuri, & Denm devotè celebraturi sumus. Eum in finem  
habebit Orationem de Vocatione legitima *B. Lutheri* ad has indulgentias, aliosque er-  
rores Papisticos oppugnandos *Dn. M. Christianus Amos Burger/ Dresdens.* S. Theol.  
Stud. industrius. Proceres ergò utriusque Reipubl. ut & Cives nostros Academicos  
amicè compellamus, velint cras, Deo dante, finitis sacris matutinis nobiscum in il-  
lud templum secedere, & misericordissimum Deum devotis laudibus deprecare, ac ex  
intimis cordium penetralibus ardentibus votis inclamare, quò hoc verbi sui divinum  
depositum perpetuò purum & illibatum apud nos conservare velit! P. P. die 30.  
Octobr. Anno Christi M. DC. LXXXIV.

m.c.



nen et  
e Mus  
l uns  
estlich  
refor-  
erders  
or na  
altenz  
on ans  
c pro-  
i Car-  
tendit

ipes af-  
oris ab-  
& suc-  
ationes  
a pro-  
edenti-  
uci di-  
c paulo  
ius II.  
subdi-  
mæ di-  
perfol-  
andum.  
hæres  
ffimus.  
eficium  
solvant  
s publi-  
nstitui-  
augu-  
o dante,  
n finem  
sque er-  
s. Theol.  
demicos  
um in il-  
re, ac ex  
divinum  
die 30.

ULB Halle 3  
004 969 677



f

1017





**N** On  
 com  
 8. f.  
 ce re  
 imo  
 sentit: Ita Ecclesia  
 tus divini exercitiu  
 fium invalescentiu  
 iterum emergit, &  
 chrè scribit *Vigiliu*  
*de Eccles.* quæst. 1.  
 tribus conferri; s  
*Annunciat luna my*  
*cut luna defectus ha*  
 plum habuimus t  
 jam nihil dicamus  
 postquam ab Apol  
 tria vel quatuor se  
 suas passa fuit *Phi*  
 scurata, & erroribu  
 particularibus, & n  
 ter multas autem e  
 detestanda illa inc  
 fio, dum ex pastori  
 forum, & committ  
 runt. Hunc in fine  
 Christum satisfac  
 interim tamen pro  
 operibus sponte fi  
 in purgatorio lue  
 tim ob durationer  
 biles fierent, ideo  
 redimi posse statu  
 ræ ab officialibu  
*nus Jesuita l. V. T*  
*poralis Deo debita*

in Phasibus lunæ  
 IV. *Hexaem. c.*  
 rdum plenâ lu  
 bicua redditur,  
 & incrementa  
 erum puri cul  
 iones, & hære  
 tum involucris  
 um, sicut pul  
 dem *Becanus l.*  
 cum luna à Pa  
 quando inquit:  
*ergo Ecclesia si*  
 ujus rei exem  
 Ecclesia V. Test.  
 plabimur. Illa  
 ndebat, & per  
 ; sed paulò post  
 s valde fuit ob  
 multis Ecclesiis  
 servare licet. In  
 s, sed magna est  
 ominum persua  
 rum & commis  
 iæ fieri credide  
 & adhuc docent,  
 eorum æternâ,  
 endum, idq; vel  
 ic vita, vel pœnâ  
 istæ pœnæ par  
 titatem intolera  
 s illas relaxari, ac  
 ulgentiales lite.  
*Paulus Layman*  
*tia est pœnæ tem*  
*onem satisfactio*  
 nis

